



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Vniversis Abbatibvs nigri ordinis per Rothomagensem provinciam  
constitutis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

te ipsum. Quod si partes in hujusmodi vi-  
ros nequiverint convenire, venerabilem  
fratrem nostrum Ierosolymitanum aposto-  
licæ sedis Legatum & Antiochenum Pa-  
triarchas in collegas assumas, cum quibus  
vel eorum altero secundum præscripta for-  
mam eandem causam appellatione remota  
decidas, faciens quod decreveris per censu-  
ram ecclesiasticā firmiter observari. Si verò  
alterutra partium duxerit resistendum, tam  
per indigenas terræ quam etiam peregrini-  
nos rebellionem ejus facies edomari. Pro-  
viso prudenter ut interim nulla penitus in-  
ter dictos Regem & Comitem guerra fiat,  
sed truce ad invicem observentur, ad  
quas utramque partem volumus & manda-  
mus, si fuerit necesse, compelli, cùm sim-  
ul non sit & armis & legibus contendend-  
um. Ceterum si quicquam humanitus ti-  
bi contigerit, propter quod mandatum  
non possis apostolicum adimplere, illud ip-  
sum duo pariter Patriarchæ freti auctorita-  
te præsentium exequantur. Datum Late-  
rani &c. per totum ut in alia.

*V NIVERSIS ABBATIBVS  
nigri ordinis per Rothemagensem  
provinciam constitutis.*

*Capitulo  
celebrando fe-  
ndi in anno.*

**O**rdinem religionis plantare ac fove-  
re plantatum ex officijs nostri debito  
provocamus, & sic religioforum petitioni-  
bus apostolicum nos convenit præbere pa-  
tronum & favorem quod sub regimine  
ac gubernatione nostra valeant affluis  
proficere incrementis. Sanè gaudemus in  
Domino, à quo est omne datum optimum  
& omne donum perfectum, quod divinis  
inspirati ad corrigendos excessus qui  
aliquando in vestris monasteriis, suadente  
inimico humani generis, committuntur,  
studium efficax adhibetis ut inquinatum  
malitia ac dissolutionis vitiis abdicatis, ef-  
ficacius possitis vos divina subdere servitu-  
ti, & per opera pietatis gratiorem præsta-  
re altissimo famulatum. Ut autem per fa-  
vorem apostolicum regularia suscipiant in-  
stituta vigorem, neque possint per aliquos  
insolentiam enervari, ut liceret vobis  
de nostra permissione petistis semel in anno  
sub aliquo Abbatie religioso & humili ejus-  
dem provinciæ Capitulum celebrare: ubi  
per consultationem omnium, tam Abbati-  
um excessus quam dissolutiones monachorum,  
salvo per omnia iure Prælatorum  
comprovincialium, compescantur; volen-  
tes de quarto in quartum annum per vos  
vel nuntios vestros ad Apostolorum limi-  
na visitanda teneri; receptum à nobis sa-

lubria monita & precepta, quibus vigor  
religionis monasticae foveatur. Nos vero  
vestris postulationibus annuentes, caritati  
vestrae concedimus ut hoc salutare propo-  
situm incipiatis exequi diligenter, & quid  
ex ipso proveniat nobis fideliter intimetis;  
ut si viderimus quod per executionem ip-  
sius religionis honestas suscipiat incremen-  
tum, quod ad robur perpetua firmitatis su-  
per eo fuerit statuendum, securius & cau-  
tius statuamus. Datum Laterani xiiii. Kal.  
Septembri, anno tertiodecimo.

*MAGISTRO ET FRATRIBVS  
Hospitalis Theutonicorum Acconis.*

**S**vam nobis dilecti filij fratres militia Epist. 115.  
Templi querimoniam obtulerunt quod Ne alba pallia  
cum in primordio institutionis ordinis sui deferant.  
eis fuerit ab apostolica sede concessum ut  
in religionis signum milites militia Templi  
albis palliis utearentur ad differentiam alio-  
rum, vos, in confusionem ordinis supradicti,  
nuper alba pallia portare cœpistis. No-  
lentes igitur ut ex hoc inter vos & ipsos  
æmulationis seu discordia materia suscite-  
tur, præsentium vobis auctoritate præci-  
piendo mandamus quatinus vestro conten-  
ti habitu existentes, hujusmodi alba pallia,  
qua, sicut præmissum est, in signum reli-  
gionis concessa fuerunt Templarii antedi-  
ctis, nullatenus deferatis. Alioquin venera-  
bili fratri nostro Patriarchæ Ierosolymita-  
no apostolicæ sedis Legato nostris damus  
litteris in mandatis ut inquisita pleniū &  
cognita veritate, id appellatione remota  
super hoc statuat quod religioni pariter  
& saluti viderit expedire. Datum Laterani  
vi. Kal. Septembri, pontificatus nostri  
anno tertiodecimo.

*IEROSOLYMITANO PATRIARCHÆ  
apostolicæ sedis Legato.*

**S**vam nobis dilecti filij &c. in eundem Epist. 116.  
modum ut in alia usque ad differentiam Super codem.  
aliorum, dilecti filij Magister & fratres  
Hospitalis Theutonicorum Acconis in  
confusionem ordinis supradicti nuper alba  
pallia portare cœperunt. Nolentes igitur  
ut ex hoc inter prædictos fratres æmula-  
tionis seu discordia materia suscitetur, eis-  
dem Magistro & fratribus Hospitalis dedi-  
mus in præceptis ut suo contenti habitu  
existentes, hujusmodi alba pallia nullatenus  
deferant, qua, sicut præmissum est, in reli-  
gionis signum concessa fuerunt Tem-  
plarii antedicti. Quocirca fraternitati tua  
per apostolica scripta mandamus quatinus  
inquisita pleniū & cognita veritate, id